

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica

Schurzfleisch, Konrad Samuel

Berolini, 1599 [i.e. 1699]

LXXXVI. Symmicta Histor.

urn:nbn:de:bsz:31-102564

Carolo M. affluit, ostendi, aut ulla specie probari potest. Frustra repugnat P. Ios. Cantelius in *historia metropolitanarum urbium part. II. c. 7.*

§. XV. Summa Caroli M. potestas in Romam multis modis culta agnitaeque est ab Hadriano I. Leone III. et Stephano V. Pontificibus Romanis. Docent hoc epistolae, reverentiae et obsequii erga Carolum Patricium atque Imperatorem monumenta.

§. XVI. Minus dicunt, qui Patricium Romanum dicunt, ignari historiae et iuris, nomine tituloque illo parti. Diversa enim sunt, Patricius Romanus, et Patricius Romanorum.

§. XVII. Pro iuribus Imperii conservandis nihil non egerunt Imperatores, maxime post Ortonis M. tempora constitutis Vicariis, qui pro Imperatoribus Italiam administrarent. In quam rem extat diploma apud *Guilhelmum et Albizetum Cortussios in historia l. V. c. 11.*

§. XVIII. Ipsi hoc facti sunt Sforzae, Caesari ius esse cognoscendi et iudicandi super imperio Mediolanensi, et criminibus, quae Principi impingebantur, *Galeatius Capella lib. VI. de bello Mediolanensi, cum quo conf. dissertatio de divisione imperii Carolini.*

§. XIX. Quae Italiae pars cum universo tractu, qui regni Italici nomine venit, nunquam in ditionem Pontificis Romani redacta est, quod ex actis monumentisque indubitatis constat. Liguria, Aemilia, Corsica, Venetiarum regio, Alpes Cottiae, Pedemontium, separatas ab Imperio rationes habuerunt, et urbes etiam provinciaeque Imperii Romanorum, ne summae quidem potestatis iure concessae unquam et confirmatae sunt Pontificibus Romanis. *Carolus Sigonius, et Caesar Baronius in re causaque hac bonam integramque fidem non praestant, tabulasque Caesarum vel mutilas, vel mutatas afferunt, quod styli temporumque periti facile cognoscunt.*

LXXXVI. SYMMICTA HISTOR.

Periscus Amphictyonum senatus, Graeciae proprius, et apud Delphos, ac postea apud Thermopylas cogi solitus, de rebus publice utilibus consilium habuit, misisque urbium legatis, non iuro, sed mittentium nomine, de pacis belli que negotiis sententiam dixit.

§. II. Nec vero omnes Graeciae urbes, eo loco numeroque erant, ut consulerent in publicum, et suffragia ibidem ferrent.

§. III.

§. III. Magnum hoc suffragii ius fuit, quod Reges preſarunt, ex iisque Philippus, et poſteri eius, volente et tribuente Amphictyonum ſenatu, obtinuerunt. Eandem Philippi cauſam egit Demoſthenes, et Athenienſes a Philippo alieniores, argumentis rationibusque ad aſſentiendum induxit. *Vid. oratio de pace, in qua oſtendit, ſe ſuaſiſſe, quod optimum eſſet, nec deſiſtere ab incepto, quod Athenienſibus profuturum, haud dubitaret. Iungatur orat. de falſa pace, et addatur Strabo libris II. et IX. Diodorus Siculus, aliique*

§. IV. Illi autem conſilio egent et corrigendi ſunt, qui Imperium Germanicum ex inſtituto Senatus Amphictyonici metiuntur ac aſtimant, et utrumque cum utroque exaequant, atque in Imperio, cui ſumma dignitate Caefar praeſt, plura ac diverſa imperia moliantur.

§. V. Si tamen locus comparationi dandus eſt, Imperium Iapanicum, cuius ſedes et ſuperbum palatium in Vrbe *Iedo* eſt, indicia quaedam ſuppeditat, quibus ſimilitudo aliqua, non exacta, neque eadem imperandi ratio indicatur.

§. VI. Hodiernum Romanorum Imperium, quod minus accurate Romanum dicitur, auſpicio Regis Germaniae Ottonis, ad Germanos iure belli delatum, non pacto, aut revocandi lege eſt acquiſitum.

§. VII. Praepotentes Italiae Principes habent clientelas, et accipiunt agnoſcuntve principatus ſuos, titulo beneficiario poſſidendos, quos Caefar, qua Rex Italiae concedit et confert, ſummiſque Principis poteſtatem, in regno Langobardico et Ciſalpino, quod Itali vocant, exercet, atque eius adeo regni ratione Principibus beneficiariis, aequae pacis ac belli tempore, ius dicit.

§. VIII. Dux Sabaudiae, qua Pedemontii Princeps, regno Italiae continetur, ſed qua dux Sabaudiae ad regnum tranſalpinum pertinet, et multas atque inſignes, clientelas ex regno Arelatenſi reſiduas, cum dignitate Principis ad Germaniam relati, et omnino etiam Germaniae, ad quam regnum illud antiquo iure pertinet, ſide atque officio Civis coniuncti.

§. IX. In regno tranſalpino Venedi ſaepe varii, mobilesque et inſidi, ſec. XII. in hoc, et finitimo Sorabiae tractu, inter Albim et Salam, domiti tandem et culti ſunt, quorum ſepulchra teſtantur lapides, qui nunc magna, nunc modica, aut minori mole conſpiciuntur. Errant enim et cum vulgo ſentiunt, qui iſtos Hunnorum, vel gigantum tumulos putant, illi etiam nihilo rectius tradunt, qui Gothorum opus eſſe rentur.

§. X. Qui Gothos Ciſbalthianos negant, vel imperitiam, vel invidiam produunt, et veterem Ciſbalthianae Germaniae ſitum ſtatumque ignorant, vel callide diſſimulant, ipſasque migrationum origines, et veras, quod hinc ſequitur, historiae Germanicae rationes illiberaliter confundunt.

§. XI. Omnes fere urbes, si unam alteramque excipias, in hac circumiacente ora sec. XII. conditae, et a fundamento extractae sunt, in primis Ascianorum consilio et opera, qui hic, et in vicina Marchia late quondam regnarunt.

§. XII. Iidem Belgas Flandros non ab hoste pulsos, sed eluvione maris submotos, patriaeque finibus excedere coactos benigne invitarunt, et venientes libenter admiserunt, in fidemque acceptos, ac in fines novae Saxoniae descriptos, colere agrum, et frequentare desertos vicos, imo et nova oppida, quorum pleraque a conditoribus appellata sunt, moliri, non vetuerunt, sed prudenti ratione permiserunt, et fructuoso etiam laudabilique consilio voluerunt. Hinc nova praedia, et praefecturae institutae, possessionesque infrastratae, et a Ducibus atque Septemviris illorum temporum, ad optimos honestissimosque usus contributae, et pace diu servatae sunt, usque dum turbarent insequentibus Husitae seculis, et hanc atque finitimam regionem incurfarent, ac deinceps alii post alios, commissa bellis civilibus Germania, haud melius mitiusque tractarent.

F I N I S.

